

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema CVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

THEMA CVIII.

Syracid. i. v. 13

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis sua benedicetur.

DISPOSITIO.

Proverbio dicitur omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est *Was End gut ist so ist's alles gut.* Id vero de fine hominis recte dicitur & intelligitur. Sicut enim ceciderit arbor ita iacebit, Eccle. ii. v. 3. Si vita bono fine clauditur, perinde est, quidcunque mali antea passus fuerit homo. Non enim ultra tanget illum tormentum, Promittit autem hoc loco Sapiens timentibus Dominum, quod ipsis bene sit futurum.

Sicut & hoc toto capite de timore Domini, & quanta illa secum ferat præmia, disserit. Quia igitur nemo est, qui non cupiat sibi bene esse in extremis, digna erit hæc sententiola quam excutiamus. Ut autem intelligamus mentem Syracidis, i. dispiciendum, quid sit timor Domini & quinam sint timentes eum.

2. Quale præmium timentes Dominum in omni vita maxime autem extremo mortis agone sint reportaturi: Vel sic: *Was die Gottesfürchtigen ihrer Gottesforcht zu gemessen. Nicht allein bey jren Letzzeiten / sondern allermeist im Tode und Secret stündlein.*

I. Pars.

Timor Domini est cultus Dei, & studium pietatis, vbi Deum, quem vt patrem diligimus, & vt Dominum reueremur atque veneramur (Mal. i. v. 6.) sic colimus, vt interim semper metuamus, adeoque etiam studiose caueamus, ne vlla ratione ipsum offendamus. Hic piorum timor dicitur filialis, Rom. 8. v. 15. non seruilis.

Estque hic timor in scriptura tam celebris, vt pro omni cultu diuino accipiatur, timor Dei. Ion. i. v. 9. Timeo Deum cæli,

2. Reg.

2. Reg. 17. v. 28. Docebat illos timere Dominum. Psalm. 34. v. 12. Docebo vos timorem Domini. Et ibid. vers. 10. Timete Dominum omnes sancti.

Hinc facile est colligere, Quinam sint timentes Dominum: scilicet, vno verbo, pii, cultores Domini sinceri, qui faciunt voluntatem Domini, seruant mandata illius, ne ipsum offendant, & cauent à peccatis Nam timor Domini prohibet peccata, Syr. 1. v. 27.

Et si maxime peccauerunt, tamen mox redeunt cum Deo in gratiam per seruiam poenitentiam & expauescunt iudicium & iram Dei.

Hoc scriptura vocat seruire Deo in timore, Psalm. 2. v. 11. & operari salutem cum tremore Philip 2. v. 12.

Exempla timentium Dominum sunt Joseph. Gen. 42. v. 19. Obadias, 1. Reg. 18. v. 12. Hiobus, Job. 1. & 1. v. 3. Cornelius, Act. 10. v. 2. Et alia passim obuia.

Sunt hi Deo gratissimi, Esa. 66. v. 2. Respiciam ad trementem.

V s v s huius loci erit, vt probeamus nos ipsos, an simus in numero timentium Dominum. Sicut Paulus vult nos probare, an simus in fide, 2. Cor. 13. v. 5. Vbi terre metus est, ne plurimi seipso decipiant: cum magna pars hominum sic in securitate carnis suffocata sit, vt de illis non possit dici, quod sint timentes Dominum. Neque enim omnes sunt timentes Deum, qui verbis quidem profitentur, quod Deum timeant. De multis enim dicitur Psalm 36. v. 2. Non est timor Domini ante oculos eorum. Et exprobrat id Dominus mulis, vbi timor meus? Malach. 1. v. 6.

Cognoscitur autem facile, quinam sint timentes Deum, qui non. Qui abstinent à peccatis contra conscientiam, & faciunt voluntatem Domini, hos agnoscit Dominus pro suis, Matt. 7. v. 21. Timor enim Domini peccatū impedit vt supra dictum ex Syr. 1. Securi autem & hypocrite rident Deum in corde suo, & dicunt, Quis videt? Syr. 23. v. 25. Psalm. 94. v. 9. Esa. 29. v. 5. Ideo in peccatis pergunt.

II. Pars.

II. Pars.

Neque vero frustra timent Dominum pii, sed habet ista pietas præmia sua in hac & futura vita, 1. Tim. 4. v. 8. Juxta scripturam enim timentes Dominum, dum viuunt, pro felicissimis sunt habendi.

1. Primum enim generaliter dicit, Beati, qui timent Dominum, Psal. 112. v. 1. & 128. v. 1. Bene erit timentibus Dominum, Eccl. 8. v. 12. Syr. 1. v. 19.

2. Sed & in specie, recensentur beneficia quibus gaudent. Non enim ipsi tantum, quamdiu vixerint, sed etiam illorum semen benedictionem Domini singularem, Psal. 112. v. 2. & seqq. Idem Psal. 118. v. 1. & seqq. sentiet.

3. Subtrahitur & eximitur grauioribus malis, ne peccat cum impiis, timens Dominum, Eccl. 7. v. 19. Et liberabitur etiam, si accidat aliquid aduersi timens Dominum, Syr. 33. v. 1. iuxta Latin. versionem. Neque terrebitur quibuscunque aduersis, Syr. 34. v. 16. Deum enim habet protectorem Videbii.

Ideo timor Domini tantopere commendatur, Syr. 1. per totum. At nos iam principaliter tantum dicemus de eo, quantum fructum pii ex timore Domini percipiant in ipso mortis agone. Qui enim tum vincit, & bono sine claudit vitam, is vere beatus est.

Sic autem Syrach: *Bene erit illi in extremis.* Tum sane alias magna est angustia, & laceratio illa animæ & corporis non sine magno dolore fit. At tum benedictionem Domini sentiet. Is dabit, vt non ægre fiat timenti Dominum morituro. Etenim Syr. 1. dicit, v. 19. Ipsum tum abundaturum consolationibus, cum opus fuerit.

Hæc autem morientium maxima benedictio & consolatio: I. quod sciunt, se placere Domino. Qui Domino placet, certus est de vita æterna.

At Psalm. 147 v. 11. Beneplacitum est Domino super timentes.

II. Annuet precibus illorum, Psal. 145. v. 19. Voluntatem timentium se faciet. Nihil denegabit.

III. Pec-

III. Peccata remittit & sicut pater miseretur, super timentes, Psal. 103. v. 11. 13. & 17. Beati autem quorum remissa iniquitates, Psal. 32. v. 1. & 2.

Lætus ergo canit moriturus: Nunc dimittis. Vidi salutem, Luc. 2. Qui his frui potest beneficiis, huic vere in extremis bene est, & sentit hanc benedictionem, ut hilari animo mori, & cælum apertum videre possit cum Stephano.

Vs vs huius loci erit, ut cogitemus, quanta sit differentia inter pios morituros & impios. Hi cum horrore finiunt vitam, Psalm. 73. v. 19. quia non sentiunt illa tria, de quibus diximus. Explica latius. Et sic concludere, vel hanc unam ob causam studendum timori Domini, ut bene fit in extremis.

FINIS.
THEMATICIX.

Syrac. 4. v. 33.

Vsque ad mortem certa pro veritate, & pugnabis pro deo.

DISPOSITIO.

Prouerb. 23. v. 23. Salomon hortatur, Eme veritatem & ne vendas illam. Quibus verbis ostendit, veritatem esse rem pretiosam, quæ nunquam sit deserenda. Eandem etiam Syrach nobis multoties commendat in hoc capite quarto, & inter cætera etiam verbis prælectis, vbi ad mortem vsque veritatem defendi vult: & potius vitam quam veritatem relinquendam innuit. Tanti facit is reuerentiam: & merito quidem. Quamuis autem plerique boni veritatem diligant, sunt tamen multi, qui cum Pilato Ioan. 18. v. 38. illam facile, & exiguo pretio venderent, & non erubescerent in casu necessitatis, ad eundem modum interrogare, Quid est veritas? Ideoque operæ pretium erit hunc locum excutere diligentius, occasione funæris præsertim huius defuncti, qui per omnem vitam

flu-